

Q. D. B. V

33.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

QVA

DE

Affectu Magno
MORTIQUE PROXIMO
SYNCOPE

EIVSQVE

CAVSIS ET CVRA

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.

ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. NEC NON SOCIETAT.

NAT. CVRIOS. ET REG. BRITANN. SOCIO

DN. PATRONO, PRAECEPTORE, STVDIORVMQVE SVORVM

AMPLIFICATORE SINGVLARITER COLENDO

PRO LICENTIA

SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

ET PRIVILEGIA OBTINENDI

D. XXVII. SEPT. ANNO M DCC XXIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

IN AVDITORIO MAIORI

DISSERET

AVCTOR

BENIAMIN SCHICHT

GORLIC. LVSAT.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

JML

XX



PROOEMIUM.



H *x* Physiologia notum est, dupliciter uniuersi microcosmi partes considerari atque distingui, nempe uel ratione consistentiae, uel ratione functionum. De priori distinctione nunc instituti, multa differere non permittit ratio: sed tantummodo posteriorem perlustrabimus, et praeprimis de partibus organicis, quaedam dicemus. Nam non tam uisu, partium istarum artificiosissima et mere mechanica fabrica, quam admiratione digna est harum officium. Separat enim alia, ex fonte uniuerso uitae nostrae liquorem, uel inutilem corporique nostro molestum et noxium, quem statim dimittit, uel utilem quem partim asseruat, et reliquum, aut totum puriorem et subtiliorem iterum ad sanguinem amandat: alia e contrario liquorem nostrum purpureum, antliae instar, e partibus recipit, rur-

A 2

susque

susque ad has propellit, et ad separationem liquorum omnium, ut modo dictum, uberiolem dat occasionem. Est itaque partium istarum organicarum tam arcta et intima connexio, exquisitissima conspiratio et harmonia, ut laesa una, altera statim in consensum trabatur, corpusque humanum, in status praeternaturales praecipitet. Videmus hoc toto die morbo in illo magno, Apoplexia nimirum, ubi motus succi neruei, quavis etiam causa turbatus et impeditus, in omnibus diffitis etiam corporis partibus, effectus producit terribiles. Aegri enim eiusmodi, fulmine quasi tacti decumbunt, omnes functiones animales, nimirum sensus et motus absunt, h. e. neque uident neque audiunt; nullum gustum, obfactum tactumque percipiunt; sermo deficit, omniaque flaccescunt membra, respiratio est difficilis, stertor et spuma oris adest, cordis motus est turbatus, et nisi praesentaneum his fertur auxilium, e mortis faucibus uix euadere queunt. Tam admirabilis itaque, ut ex his uidere licet, est cerebri, et imprimis cerebelli cum partibus corporis connexio et harmonia. Sed non modo in hoc solum affectu, sed etiam alio huicce adminimum aequali, si non maiori, animaduertitur consensus exquisitus cerebri cum corde, in quo, omnes demum morbi sese terminent. Hic sane,
non

non modo stupenda recensita adsunt phaenomena, sed etiam praeter haec, omnes actiones vitales afficiuntur, respiratio abest, facies observatur cadaverosa, sudor frigidus, refrigeratio extremorum, cessat pulsus fere totus; et haec omnia proveniunt tantum, a cordis et arteriarum motu praeternaturali, impedito, difficili atque irregulari. His positis itaque concludere licet, summum cerebri esse cum corde consensum atque harmoniam, adeo quidem, ut non immerito inter reliquas partes organicas, cor cum cerebro de principatu certet, sed etiam haec duo viscera omnibus aliis, ratione usus sint anteferenda. Ab horum integritate, consensu atque aequilibrio uti omnes reliquae actiones, ipsaque vita dependet, ita si ista laesione uel destructione in officio suo turbantur, totum corpus patitur, motiones omnes cessant, ipsaque mors acceleratur. Hinc cogitanti mihi, quidnam tam lectu dignum, quam etiam statui meo conueniens, inauguralis speciminis loco, proferrem; uaria inter meditandum obuersata sunt mihi themata. Praesertim cum in mortis meditationes incidere, illamque tam subitanam saepius separationem animae et corporis considerarem; tunc de uera corporis et animae separatione ab apparente distinguenda, nec

non de morbis, mortem mentientibus, differere constitueram. Sed quoniam chartae angustia, tam magnos affectus, uti par est, pro dignitate, pertractare prohibet, et omnes eiusmodi tam horribiles affectus tandem in Syncopen se determinent, permissu Amplissimi Ordinis Salutaris, hunc corpori humano infensissimum, mortique proximum affectum pertractandum suscepi. Faxit DEVS, T. O. M. rerum omnium conditor et conservator, ut haecce conamina cedant, inprimis in Nominis sui gloriam, proximique egentis emolumentum!

THESES. I.

Syncope
quid?

Est autem hic affectus, nihil aliud, quam eiusmodi status hominis praeternaturalis, qui a morte nonnisi gradu differt, omniaque fere mortis perfectae signa prae se fert. Paucis, per hunc affectum intelligo Syncopen eiusque summum gradum Asphyxiam: sicque definitio, quod sit abolitio fere totalis omnis motus vitalis et animalis, ubi instar mortuorum aegri decumbunt, sine respiratione, cum facie cadauerosa, sudore frigido, praepressis capitis, refrigeratione extremorum. pulsusque fere notabili absentia, a motu cordis et arteriarum imminuto, uel fere deficiente dependens.

Thef.

THES. II.

Vocatur etiam affectus noster a Celso, animi defectio, quia anima deficere uidetur; a Seneca, concisura, quia mortuorum instar concidunt aegri; a Scaligero, Spirituum subtractio, quia ab horum influxu uigor corporis pendet.

Synonymia.

THES. III.

Dixi autem in superioribus, affectum nostrum praesentem esse abolitionem fere totalem, omnis motus uitalis, eam ob causam, quoniam si abolitio totalis adesset non morbus, sed mors ipsa adesset, et quidem non solum motus uitalis, quia omnes actiones uitales uno momento, e.g. chymificatio, chylificatio, sanguificatio eiusque circulatio, quasi destruuntur: sed etiam animalis, quia omnes functiones animales, sensus nimirum et motus laeduntur, et uti Lommius dicit, uis sentiendi et mouendi eiusmodi aegris deficit. Hinc aliter fieri non potest, quin eiusmodi aeger tanquam mortuus decumbat, et quidem subito, quia uti dixi, omnes actiones animales deficiunt, absente etiam respiratione, ob motum sanguinis per pulmones impeditum, nec non apparente facie cadauerosa quia sanguis ad extremitates

cor-

Ratio formalis et Diagnos.

corporis non uehitur: hinc ob conatus naturae spasmodicos, qui lympham iam stagnantem in glandulis praecipue capitis, colli etc: uersus exteriora pellunt, sequitur sudor frigidus, syncopiticus dictus: cum refrigeratione extremorum, quia omnis motus ibidem cessat, unde sentitur etiam ibidem pulsus notabilis absentia. Quae omnia hucusque recensita horrenda phaenomena, unice tantummodo a motu cordis et arteriarum imminuto uel fere deficiente, dependere, e sequentibus satis superque patebit.

THESES. IV.

Subie-
ctum.

Sedes igitur huius affectus primaria, semper cor est, cum arteriis, quorum motus turbatus et impeditus talia efficit phaenomena: radix uero in aliis corporis saepe partibus, quaerenda erit. Sic in cerebro causa mali latitare potest, quando ob animi pathemata, succus nerveus uel debita quantitate, uel motu regulari, officium suum praestare non sufficit, hincque omnes corporis partes, et praecipue cor afficitur, motusque sanguinis in illo, ob disproportionem fibrarum cordis cum sanguine impeditur, ut tandem Syncopen oriri necesse sit. Pari etiam ratione, radix affectus nostri saepissime in uentriculo inuenitur, quando nimirum

rum a cruditatibus, medicamentis infidis, aut uenenis propinatis, tonus eius uel laeditur, imo plane destruitur, uiscera uicina in consensum trahuntur, sanguinisque motus undiquaque perturbatur ac impeditur, unde tandem talis sequitur affectus. Obseruauit *Funckerus* in *Conspectu Medic. Theoretico - Practicae Tab. CV. p. m. 673.* quod uirgines aliquando inter partum syncope correptae, non sine ratione suspicionem incastitatis incurrant. Cuius rei ratio nulla alia est, quam quod tales pro uirginibus habitae, arcta thoracis et abdominis constrictione grauiditatem celare student, ubi accedente uentriculi a cibis repletionem, circuitus sanguinis primum in utero grauido, tandemque in toto corpore difficilior redditur. Nos tamen hanc regulam pro uniuersali habendam esse non ducimus, indeque circumspecte de hoc iudicandum esse putamus, ne innocentibus iniuria inferatur.

THESES. V.

Est autem motus cordis et arteriarum systalticus et peristalticus imminutus, uel fere deficiens, sine quo affectus noster nunquam adesse potest, quique unice a disproportionem fibrarum cordis, et arteriarum impellentium, et sanguinis

Causa proxima.

remota.

B

guinis

guinis circulandi dependet. Disproportio au-
 tem fibrarum in culpa est, quando influxus suc-
 ci neruei elastici in fibris cordis et arteriarum
 impeditur, uel a uitio domestico ipsius succi
 neruei plus minus acris, uiscidi, tenuis, uel a san-
 guinis nimia copia, tenuitate etc. ut ex serie
 causarum occasionalium, procatarcticarum
 alias dictarum, naturalium, nonnaturalium,
 et praeternaturalium patebit. Sic tem-
 peramentum, imprimis melancholicum, uel
 phlegmatico-melancholicum, ob sanguinem
 crassum et uiscidum, qui fibrarum in corde et
 arteriis motui et pressioni resistit, tonum ea-
 rum destruit, consequenter motum systalticum
 et peristalticum impedit, saepissime talem tra-
 gaediam efficit. Quod eodem modo praesta-
 re potest Plethora, seu Temperamentum san-
 guineum. Quemadmodum etiam cholericum,
 ob particularum biliosarum, mobilium abun-
 dantiam, sanguinisque propterea turgescen-
 tiam, atque motum irregularem, huic occasio-
 nem praebere potest. Aetas fere omnis, res-
 pectiue tamen, iuuenilis prae infantili, uirilis prae
 iuuenili, senilis prae uirili, affectum hunc pro-
 ducere solet: quinimo Senectus, quae ipsa mor-
 bus est, et decrepita Senectus, quae merito se-
 mimors

Causae na-
 turales.

mimors dicitur, in hunc affectum, perinde ac in Apoplexiam maxime est proclivis. Experientia etiam quotidiana testatur, quod sexus praeprius foemineus, ob texturam teneriorem, sensibilem, et quia animi commotionibus magis obnoxius est, hoc affectu praevirili saepissime tentetur. Tandem etiam non solum animi pathemata, sed etiam aërem, cibum et potum, motum et quietem, somnum et vigili-
 lias, nec non excretionem et retentionem inter mali huius causas numeramus. Perfacile foret, causarum adductarum omnium rationem formalem addere, si hoc temporis et instituti ratio permitteret, sufficiat tantummodo observationes quasdam singulares experientissimorum Virorum adducere. Sic observavit *Colleg. N. C.* rusticum ab odore suaueolento syncopitum. *Rhodus in Obs. med.* hominem rosas obficientem syncope correptum. *Heinr. ab Heer. Obs. XV. p. m. 147.* ex lacte concolato lipothymiam. *Zacut. Lusit. L. V. Med. Pr. hist. 23.* ex usu fungorum. *Bonetus in Med. Septent. L. II. Sect. 20.* syncopen periodicam, et lipothymiam ex colapho. *Heinr. ab Heer. in Obs. Med.* lipothymiam a sono campanae et uoce canora. *Schenck. L. II.* ab euacuationibus nimiis. *Bonet. in Sepulchret.*

Causae
 nonnaturales.

Causae
praeterna-
turales.

chret. Obs. 27. a sanguinis nimia effusione per V. S. *Mangetus in additam. in Boneti Sepulch. Obs. 1.* a risu uehementi; *Lottichius in Obs. et Marcell. Donatus in hist. med. mirab.* a gaudio subitaneo. *Fontanus in Cons. et Respons. p. 63.* ex timore graui, et *Voigtius in delic. Phys. Cap. 4. p. 180.* lipothymiam ab aspectu filii proprii factam, annotarunt. Porro etiam affectum nostrum in actum deducunt, morbi, symptomata, causae morbificantes, ut et uenena, uermes, polypi, aliaque toto genere praeternaturalia. Instar omnium autem hac in re conferri meretur *Bonet. in Sepulchret. L. II. Sect. X.* qui syncopen a uariis imi uentris morbis obortam e.g. uentriculi, hepatis, lienis, pancreatis etc. *Obs. 26.* a pericardii et mediastini inflammatione *Obs. 13. et 18.* a corde sanie obsito, item ulceribus sinistrum cordis uentriculum exedentibus. *Obs. 1. et 2.* a uerme in cordis sinu dextro. *Obs. 7.* a lumbrico orificio uentriculi affixo *Obs. 21.* ob defectum pericardii *Obs. 11.* a concreto in uenis sanguine, et corpore fibroso in aorta contento *Obs. 14. et 16.* a tuberculo in uentriculo, ut et a uasis sanguiferis in corpore ruptis *Obs. 22. et 24.* Sic habet *Mangetus in additament. ad Bonet. Sepulch. L. II. Sect. X.* syncopen a polypo insigni in uena caua
Obs.

Obs. 3. ab inflammatione cordis. *Obs. 5.* a pericardio cordi undiquaque adnato. *Obs. 6.* Observavit etiam *Bonetus in Med. Septentr. Part. 1. Lib. XVI. §. 9.* Syncopen a medicamento concipiendi gratia hausto, et *Highborus* habet *Lipothymiam* a pancreate male constituto.

THE S. VI.

Differt autem affectus praesens, uel ratione ^{Differen-} ^{tia.} sui ipsius, uel ratione aliorum morborum similium. Ratione, sui ipsius, lipothymia, quae tantum est prodromus syncoptici affectus, differt ab *Asphyxia*, quae eius summus gradus est: hinc in priori symptomata omnia mitiora apparent, in posteriori uero grauissima sunt omnia. Ratione aliorum morborum: et quidem ab *Apoplexia* differt in eo, quoniam hic adest stertor, respiratio fortis, facies rubicunda, praecipue in sanguinea; ab *epilepsia* et passione hysterica, in qua motus conuulsui, siue manifesti, siue obscuriores et interni magis obseruantur, a *Catalepsi*, defectu respirationis, pulsus, ac rigiditatis totius corporis: et demum a morte, non nisi pulsu gliscente quasi adhuc in interioribus, uixque sensibili. Alias distinguitur etiam in simplicem et cum aliis morbis e. gr. hydrope, asthmate conuulsuo, etc.

complicatam. Obseruatu etiam digna est Syncope idiopathica, cuius causa in parte affecta haeret, et sympathica, cuius causa ex aliis partibus corporis, parti affectae per consensum communicatur, e. gr. ex utero, uentriculo etc. uti ex Boneto, aliisque autoribus supra citatis uidere licet.

THESES. VII.

Signa im-
minentis
Paroxyfmi.

His itaque perspectis, superuacaneum sane esset, si in praesentis paroxyfmi signa inquirere uellemus, dum nullis signis opus habemus, et definitio supra data, curiositati quaerentis satisfacere potest; imminentis tamen Paroxyfmi signa paucis perlustrabimus. Accedunt nimirum improuisa cordis anxietas, uertigo, animi perturbatio, capitis grauitas, uisus obscuratio, pulsus saepius iterata mutatio, languor, grauitas et refrigeratio extremorum etc.

THESES. IIX.

Progno-
sis.

Ex supra dictis nunc etiam Prognosis formanda est. Affectus enim noster breuis est, et terminatur ad salutem, dissipatis causis; ad mortem uero extincto pulsu et motu sanguinis intestino et progressiuo. Hinc Hipp. II. Aph. XLI. qui frequenter et uehementer, et abs re deficiunt, repente moriuntur: indicat enim

- enim latentem causam in corde, uel ipso sanguine, e. g. polypum cordis et arteriarum, calculos, carunculas, ualuularum cordis distorsiones, hydropem pericardii, dislocationem cordis etc. Melior itaque est Syncope sympathica, quam idiopathica, in idiopathica enim causae magis sunt absconditae, quae neque a Medico, neque ab aegroto facile indagari, multominus curari possunt. Tutior est iuuenibus, consistentis aetatis, ceteroquin sanis, quam senibus, ualitudinariis, languidis, et ex morbo aliquo graui laborantibus. Post cordis palpitationem diuturnam mortifera est, uti refert *Lommius Obs. Med. p. m. 159.* Syncope frequens, ab haemorrhagiis nimis inducta, semper est periculosa, praesertim in puerperis, alias eneruatis: hinc tales a somno quauis ratione detineri debent.

THES. IX.

Cura itaque pro affectus magnitudine, eo citius adornanda est, quo maius periculum in mora minima positum est. Causas omnes tempore paroxysmi inquirere impossibile est, hinc tantummodo cura Paroxysmi instituat excitantibus, stimulantibus, confortantibus idque

Cura Paroxysmi.

que ex tribus fontibus usitatis. E fontē chirurgico prodest V. S. si indicantia adsunt. Item frictio et uellicatio. e. g. Labiorum c. sale comm. vel alio; linguae cum pipere uel sale uolat. quodam; plantarum pedum cum excutia; pilorum mysticis, mediante qua *Heimr. ab Heer* apoplecticum, imo mortuum, uti multis uisum fuerit, e crapula largiori uini et cereuisiae, post tertium diem, excitauit. *Conf. eius Obs. med. XIX. p. m. 178. et sequ.* nec non pudendorum, praeprimis in foeminis, hysteris obnoxiiis passionibus. Pertinet etiam huc clamor profundus in aures immissus, et aspersio aquae frigidae. E fonte pharmaceutico profunt odorifera tam mitiora, quam penetrantiora, e. g. Aqua apopl. carbunc. cinamom. Spir. ros. lil. conuall. sal. ammon. fulig. uol. Sal uolat. C. C. oleof. Sylu. uel *Dn. Christ. Vateri, Praeceptoris mei singulariter colendi* sternutatoria, et si ad quadrantem horae perdurat paroxysmus, etiam clysteres stimulantibus applicentur. Admoueantur etiam ad pulsus, frontem ac tempora, aceta, rosac. fl. sambuci, lil. conuall. calend. theriac. s. bezoard. E fonte diaetetico prodest decubitus horizontalis in lecto calido, relaxatio uestium et sic porro.

THES.

THES. X.

Extra Paroxysmum statim attendendum, an ^{Gura extra} idiopathicum uel sympathicum sit malum: si ^{Paroxy-} ^{siuam.} idiopathicum, cessante paroxysmo aeger non statim relinquendus est, sed ob metum recidivae, adhuc convenientibus, aegroque gratis medicamentis, e. g. crusta panis uino imbuta, iusculis reficientibus etc. confortetur, si sympathicum, in sedem mali radicalem inquiratur, an in uentriculo, intestinis, utero, pancreate, hepate, liene, reliquisque corporis partibus illud haereat; an a causa externa, medicamento infido propinato, ueneno, aliisque dependeat, et tunc iuxta indicantium suorum, cura adornetur.

THES. XI.

Sic V. S. prodest praeservationis et curationis gratia, ubi unquam indicantia adsunt, nullaque contra ^{Per reme-} ^{dia chirur-} ^{gica.} indicantia id dissuadent, cum primis in plethoricis. Non minus tamen in melancholicis concedi potest, respective tamen. *Conf. Zacut. Lusit. L. I. Pr. admirab. obj. 135.* Scarificatio, quamvis alias uicaria V. S. audiat, hic tamen indicantibus sic suadentibus, aliisque circumstantiis permittentibus, non nisi praeservatorie effectum suum praestat. Idem iudicium esto de Fonticulis. Frictiones uero et uellicationes maiorem usum habent,

C

bent,

bent, nimirum transpirationem promouendo, fibras neruorum irritando, et sic fluxum sanguinis et succi neruei liberiozem reddendo.

THES. XII.

Pharmaceutica,

Perspectis remediis chirurgicis, ordinis ratio exhibet etiam pharmaceutica perlustranda. Quoniam uero numerus horum tam magnus est, doctrinae gratia ea in duas diuiduntur classes, quarum prima euacuantia, altera uero alterantia complectitur. Quomodo igitur haec in curatione mali nostri, nec non eius praeseruatione conspirant, plurimis nunc uidebimus. Nimirum euacuantia in genere, tunc demum profunt, quando causa mali talis est, quae per eiusmodi euacuationes eliminari potest; natura etiam eo inclinatur, et aeger exinde bene se habet. Hinc purgantia et uomitoria in specie profunt, quando ueneni; aut alius medicamenti infidi propinati suspicio adest, et sic causa mali ibidem adhuc radicaliter haeret, praesentibus tamen nullis contraindicantibus, eaque sint blanda plus minus e. g. Rec. Pulu. Gialapp. scrup. β. Resin. Scammon. Gialapp. a. gr. ij. uel iij. Tragaeae aromat. scrup. β. M. D. S. Cuius loco substitui possunt Pil. catharral. fort. magistral. fort. et Pulu. laxatiuus polychrest. *Dn. Vateri Praeceptoris mei singulari obser-*

Purgantia.

obseruantia atque animi cultu prosequendi. Rec. Pulu. Ipecacuanh. scrup. β. Tart. emet. gr. ij. Elaeosacch. citri. gr. viij. M. S. uel Rec. Pulu. Ipecacuanh. drach. β. D. S. *Forest. L. 17. Obj. 7.* refert syncopen ex defectu mensium, afflicto simul stomacho, purgante curatam. Si ad intestina ^{Clysteres.} iam prodierit causa mali, aut uermes adsunt, aut alia indicantia e. gr. obstipatio alui, tenesmus, tunc tutius adhibentur clysteres, uel e lacte, uel prodio, uel saltem communes, siue emollientes, siue stimulantis. ^{Sudorifera.} Sudorifera etiam hic officium suum praestant, si modo rite adhibeantur, et secundum causas mali dirigantur, eaque tamen sint moderata, e. gr. Mixt. simpl. c. spirit. nigr. dulc. et syrup. aliquo grato, Ess. Antipleurit. *Praeceptoris mei charissimi* Spir. sudorif. Schneid. Vae diaphoret. ex ∇ samb. theriacal. ceras. card. ben. tiliae c. sirup. acetos. citri uel per se, uel cum dent. equi. marin. lap. cancr. C. C. ust. C. C. philosoph. praeparat. non obstante aliorum iudicio, qui C. C. ust. et philosoph. praeparat. aliaque id generis terrea, tanquam medicamenta inertia, minusque efficacia reiiciunt, eoque ipso contra quotidianam experientiam pugnare uidentur; Idem etiam de diureticis iudicandum est, et ob- ^{Diuretica.} seruandum, ne hic etiam Medicus, tanquam na-

turae minister, eadem inuita, quid peragat, sed omnino naturae conamina accurate obseruet: sunt autem talia; spir. nitr. dulc. clyff. alcal. laud. rinar. Spir. sal. ammon. anifat. liqu. C. C. succinat. et sic porro. Alterantia speciales semper respiciunt causas. Sic in obstructionibus uasorum et uiscerum

Aperientia. profunt aperientia. e.g. Pulu. hepat. Dresd. Sal. aperit. *Dn. Chr. Vateri* polychrestis sane usus. Item Eff. mart. pomat. cydoniat. c. Elix. P. P. s. tdo et spir. nitr. dulc. tinct. aperitiu. Moebij etc. In stomachicae curatione praepremis conueniunt,

Abforbentia. Absorbentia; e. gr. conch. corall. crystall. mont. lap. cancr. off. sep. terr. sigillat. ut et cinnab. natiu. antimon. uel per se, uel cum oleis aromaticis combinata; quo etiam pertinet Elaeo- facch. cordial. et confort. nec non Pulu. abforbens. Si his annotatis adduntur antispasmodica, neruina, quaeque grauem et ingratum odorem de se spargunt, qualia sunt castoreum, asa foetida, galbanum et similia, tunc affectus fere omnes ex uteri uitio, cum affectu hypochondriaco coniuncto, curantur, praepremis si aeger eiusmodi odores non recusat. Nec hic omittenda sunt succinata. Sed maiori iudicio et cautione opus habent opiata, et quanquam generosi sunt

Nervina.

Opiata. usus

usus, tamen in refracta dosi propinentur pro indicantium suasu. e. g. Pulu. anodyn. ad gr. iij. uel jv. uel Laud. opiat. ad gr. iß. uel ij. pro dosi cum pulu. cephal. opt. marchion. uel alio neruino. Haec modo dicta medica-
 menta, caute tamen cum acidis permixta profunt, ^{Acida.} quando malum ex hypercatharrsi atque sudoribus, similibusque euacuationibus colliquatiuis, item aestu nimio corporis, et odore ingrato originem ducit. Hinc *Excell. VVedelius* non immerito acida commendat in syncope, quia sanguinem coagulatum resoluunt, solutum uero coagulant. *uid. Bonetus Med. Sept. P. II. L. II. Sect. XX. p. 482.* Huc etiam pertinent omnia sisten-
 tia et extrauasationem sanguinis humorumque ^{Sistentia.} impediencia, quorum usus in haemorrhagiis, aliisque euacuationibus plus solito factis, insignis est, si modo ad causas speciales semper respiciatur. Contrarium autem effectum edunt Balnea, ^{Balnea, Thermae et Fomentationes.} Thermae, et Fomentationes, nimirum transpirationem promouendo, uisciditates resoluendo, liberioresque sic fluxum et refluxum efficiendo. Adhibentur itaque haecce, ubi in curatione affectus nostri eiusmodi indicantia concurrunt, nec contraindicantia illa disuadent.

Cura Diaetetica.

Reliquum est, etiam diaetae regimen considerare, in cuius legitima obseruatione, non solum praecipua sanitatis, sed etiam uitae nostrae pars sita est. Percurramus proinde res omnes huc spectantes, alias non naturales dictas, et secundum ductum eorum, quid in affectu nostro omittendum faciendumue sit, uidebimus. Sic eligendus semper est aer purus, temperatus, neque nimis calidus, et siccus, neque nimis frigidus et humidus, sed cuiusuis aegri temperamento conueniens; contrarius uero uitetur. Cibus potusue esto simplex, quantitate moderatus, qualitate temperatus, secundum aegri tamen temperamentum, aetatem et sexum accommodatus. Confortationis tamen gratia concedantur, et quidem statim post paroxysmum, nonnulla aromatica et spirituosa, sed in quantitate pauca, beneque temperata. Post paroxysmum etiam aegri quiete in lecto seruentur, et ab somno, quouis modo id fieri potest, detineantur. Moderandae autem inprimis omnes animi commotiones, in specie terror et ira, a quibus maxime affectus induci solet. Hinc conuenit, ut his consiliis favorioribus, nec non medicamentis conuenientibus, consulere studeamus. Maxime uero ratio habeatur,

beaturn, excretionum naturalium, quae si nimiae fuerint, cohibeantur, si uero suppressae, quouis modo promoueantur, in quo maximum tam curationis, quam praeseruationis momentum consistit. Haec sunt itaque, quae pro uiribus ingenii animique, de praesenti affectu differere uolui. Deo autem pro nauata sua gratia pias persoluo grates.

FINIS.



Pag. 4. lin. 15. lege, olfactum pro obfactum. p. 8. lin. 5, pro refrigeratione, refrigeratione. p. 11. lin. 18. pro obfacientem olfacientem, lin. 20. pro concolato, coagulato. p. 12, adde post num. 24, annotauit.

NOBI.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CANDIDATO
SALVTEM
PRAESES.

Nihil sane futuro Medico magis proficuum censeri debet, quam si is, iactis prius in Arte Salutari fundamentis debitis, postea, ductu Practici periti, atque longo rerum usu confirmati, ipsam morborum indolem, cautamque atque prudentem remediorum applicationem obseruandi, nanciscatur occasionem. Hac uia TV, CANDIDATE CLARISSIME, incessisti, qui per sexennium hac Academia commoratus non tantum doctrinis Physicis, Anatomicis, Botanicis animum imbuiisti, sed etiam Venerandum Parentem meum, in praxi Eius amplissima, perpetuo comitatus es, Ipsius consilia audiuisti, atque hoc ipso tot diuersissimarum aegritudinum cursum perspexisti. Ita uero factum est, ut eam in Arte nostra TIBI comparares scientiam, quae felicem ubiuis locorum Praxin sperare TE iubet. Testatur de illa praefens, quod hodie edis, specimen inaugurale, raro admodum exemplo, abs TE proprio Marte elaboratum, quo affectum grauissimum, mortique proximum, Syncopen, discutiendum, TIBI sumpisti. Age ergo, Amice charissime, promeritos in Arte Salutari honores, ab Ordine Nostro lubentissime TIBI collatos, felicibus auspiciis capeffas, secundis auibis in Patriam redeas, atque bona quaeuis euentura, TIBI certo promittas. Vale. Dabam ex Museo festinante calamo
d. XXIII. Sept. M DCC XXIII.

01 A 6605

ULB Halle


3

003 092 054



V. 17
K. 12







Q. D. B. V

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

Q. V. A

DE

Affectu Magno
MORTIQUE PROXIMO
SYNCOPE

EIVSQVE

CAVSIS ET CVRA

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.
ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. NEC NON SOCIETAT.
NAT. CVRIOS. ET REG. BRITANN. SOCIO

DN. PATRONO, PRAECEPTORE, STVDIORVMQVE SVORVM
AMPLIFICATORE SINGVLARITER COLENDO

PRO LICENTIA

SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
ET PRIVILEGIA OBTINENDI

D. XXVII. SEPT. ANNO MDCC XXIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

IN AVDITORIO MAIORI

DISSERET

AVCTOR

BENIAMIN SCHICHT

GORLIC. LVSAT.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

MML

XX